

SCRIPTA

Numéro Scripta : 8488

Auteur(s) : Geoffroy V le Bel, Anjou (comte)

Bénéficiaire(s) : Château-l'Hermitage, Notre-Dame (prieuré)

Genre d'acte : charte

Authenticité : non suspect

Datation : 1144, 28 janvier

Action juridique : donation

Langue du texte : latin

Analyse

CHARTE DE GEOFFROY LE BEL EN FAVEUR DU PRIEURÉ DE CHATEAU-L'HERMITAGE.

Tableau de la tradition

Éditions principales

a. Piolin Paul, *Histoire de l'église du Mans*, Paris, Julien, Lanier, 1851-1871, 10 vol., t. 4, n° XL bis, p. 552.

Texte d'après a

Noverint universi Ecclesie filii tam presentes quam futuri quod dominus Gaufridus venerabilis comes Dei gratia Andegavorum, filius videlicet domni Fulconis regis Hierosolimorum, uno tantum milite Roberto scilicet de Poceio comitatus, Castellensem ecclesiam orationis gratia expetiit. Qui sollicite ac diligenter perpendens Gislebertum bone memorie virum tunc temporis Castellensis ecclesie magistrum fratresque ceteros ante altare beate Marie convocavit. Ibi autem pro suorum remedio peccatorum, convocatis fratribus eorumque successoribus ad sui calefactionem et ad domorum suarum edificationem infra locum qui dicitur de Castellis et extra, ac alia sua necessaria, caritative in suis nemoribus Cenomanie et Andegavie concessit ; omnes in perpetuum libertates scilicet et pasturas et pasnagium sui et hominum suorum. Nemus vero loco illi adjacens quiete et libere possidendum. Hoc vero donum super altare beate Marie cum missali posuit. Quod ut omnino ratum et inconcussum perenniter habeatur, sigilli sui munimine roboratur. Hoc donum Gaufridus filius comitis concessit presentibus istis, Helia fratre comitis, Pagano de Claris Vallibus, Gaufrido de Cleeriis, Prolino de Evriaco sacerdote, Alano abbate de Gastineta, Giraldo de Belforto tunc temporis illius comitis notario. Ut autem Castellensis ecclesia ab ipsius comitis successoribus in magna habeatur reverentia, supradictus comes in presenti carta voluit contineri se ad ipsius Castellensis edificationem ecclesie decem libras prebuisse, primumque lapidem posuisse. Hec carta facta est apud Maietum, V kal. februarii, anno ab Incarnatione Domini M° C° XL° IIIJ°, sub Papa Innocentio II.